

IV. Mercurius et mulieres duae

De eodem alia fabula

Mercurium hospitio mulieres olim duae
inliberali et sordido receperant;
quarum una in cunis paruum habebat filium,
quaestus placebat alteri meretricius.
Ergo ut referret gratiam officiis parem,
abiturus et iam limen excedens ait:
"Deum uidetis; tribuam uobis protinus
quod quaeque optarit." Mater suppliciter rogat
barbatum ut uideat natum quam primum suum;
moecha ut sequatur sese quidquid tetigerit.
Volat Mercurius, intro redeunt mulieres.
Barbatus infans, ecce, uagitus ciet.
Id forte meretrix cum rideret ualidius,
nares repleuit umor ut fieri solet.
Emungere igitur se uolens prendit manu
traxitque ad terram nasi longitudinem,
et aliam ridens ipsa ridenda extitit.

[Appendix Perottina Fabularum Phaedri]

- *hospitium* = hospitalitas
- *inliberalis* (*illiberalis*)-e = *vilis-e*
- *sordidus* = miser
- *quaestus meretricius* = *lucrum, beneficium meretricis* (*lupae, prostibulae*)
- *referret*: redderet

- *suppliciter*: qui supplicat

- *moecha* = meretrix, lupa



infans barbatus



vagitus ciet

- *naris* = *nasus* | - *umor*: *mucus*



emungere

- *prendit* : *sumit, capit*



traxit ad terram nasi longitudinem

- *extitit*, perf. *existere*: *mutata est, conversa est*

Olim duo mulieres receperant Mercurium hospitio inliberali et sordido; quarum una habebat paruum filium in cunis, quaestus meretricius placebat alteri. Ergo ut referret gratiam parem officiis, (Mercurius) abiturus (est) et excedens limen ait: "Deum videtis; protinus vobis tribuam, quod quaeque opta(ve)rit".

Mater suppliciter rogat ut videat quam primum natum suum barbatum; moecha (rogat) ut sese sequatur quidquid tetigerit. Volat Mercurius, mulieres intro redeunt.

Ecce infans barbatus ciet vagitus. Cum meretrix rideret id forte validius, umor replevit nares, ut fieri solet. Igitur volens se emungere prendit manu traxitque nasi longitudinem ad terram, et ipsa ridens aliam extitit ridenda.

III. Aesopus et Rusticus

Vsu peritus hariolo ueracior
uulgo perhibetur; causa sed non dicitur,
notescet quae nunc primum fabella mea.
Habenti cuidam pecora pepererunt oues
agnos humano capite. Monstro territus
ad consulendos currit maerens hariolos.
Hic pertinere ad domini respondet caput,
et auertendum uictima periculum.
Ille autem adfirmat coniugem esse adulteram
et insitios significari liberos,
sed expiari posse maiore hostia.
Quid multa? Variis dissident sententiis,
hominisque curam cura maiore adgrauant.
Aesopus ibi stans, naris emunctae senex,
natura numquam uerba cui potuit dare,
"Si procurare uis ostentum, rustice,
uxores" inquit "da tuis pastoribus."

[Phaedrus, Fabulae III, 3]



- hariolus: diuinator, haruspex

- vulgo (adv.): saepe
- perhibetur: habetur
- notescet: patefacit,
docet



perpeperunt, perf. parere



agnus humano capite

- maerens: tristis, afflictus - monstrum-i:
prodigium, portentum
- pertinere: esse + gen., referre | caput domini:
dominum
- auertere: amovere, abducere
- insitiosus = illegitimus
- hostia = uictima
- senex naris emunctae: senex perspicax, sagax
- uerba dare = fallere
- procurare: expiare, coniurare
- ostentum-i: prodigium, portentum

Peritus usu vulgo perhibetur ueracior hariolo; sed non dicitur causa, quae nunc primum fabella mea notescet.

Cuidam habenti pecora oues perpeperunt agnos humano capite. Territus monstruo currit maerens ad consulendos hariolos.

Hic respondet pertinere ad caput domini et periculum auertendum (esse) uictima.

Autem ille adfirmat coniugem esse adulteram et significari liberos insitiosos, sed hostia maiore expiari posse.

Quid multa? Dissident variis sententiis, adgravantque curam hominis cura maiore.

Aesopus, senex naris emunctae, cui natura numquam potuit uerba dare, stans ibi inquit: "Si procurare ostentum, da uxores tuis pastoribus".